

161 Disp. IV. Part. IV. an De° cōcur:cū caus: sec. 162

duans, quem in Metaphysica hec cōtatem cum Scotistis vocamus.

Deinde secundum doctrinam P. Raynaudi concursus Dei non est praeius ad actionem creaturæ, sed simultaneus; si verò determinaret numerice, & individualiter actiones creaturarum, deberet esse quid prius ex hoc axiome: *Omne determinans debet esse aliqua prioritate prius determinato, & determinabilis*, præsertim loquendo Physicæ, vt in præsenti: sed per te concursus Dei determinat concursum creaturæ ad talem numerum actionem, ergo concursus Dei erit præius ad concursum creaturæ. Eligas ergo aut flare pro Thomistis, aut ad nostras partes deflere. Nec dicas determinare simultaneæ; nihil enim simultaneum determinat ob dictum argumentum. Deinde prout exit à causa secunda illæ concursus, vel est determinatus, vel non; si non, ergo causa secunda emitit suas actiones indiferentes in individuo, sicut verum erit, quod tantum agat in specie, *actiones autem sunt individualiorum*, & causa individua producit actiones individuas; itaque actio creaturæ, prout concipiatur à nobis egredi à causa, concipiatur vt iam individua, etiam si nihil consideremus de simultaneo illo concursu; ergo non accipiet suam determinationem individualem ab illo concursu, igitur ille concursus quoad hoc non erit necessarius.

Et certè Reuerendus Pater Mæratius tom. I. disp. 26. scil. 4. ait, si spectetur actio prout est hæc in particulari potius, quam illa, seu per quam determinat nunc hoc potius, quam illud efficitur, hoc prouenire ex creaturæ, liberè nunc hoc potius quam illud agentis determinatione. Et hæc habet in fine citata fictionis, & paulo post initium ait, quod creatura determinatione suâ liberâ, quam se determinat ad agendum potius hoc, quam illud, Deum ad hoc ipsum determinat.

Vides ergo, quomodo secundum illam doctrinam de simultaneo concursu, non Deus ipse, sed ipsa voluntas determinet Deum ad hoc potius, quam ad illud agendum in individuo, ergo non determinatur voluntas ab actione, seu concursu diuino, sed è contra etiâ quoad individuum, aperte enim ibi loquitur Pater Mæratius de determinatione quoad individuum, dum ait, quod hoc potius fiat, quam omitatur, prouenire ex determinatione voluntatis determinantis Deum ad hoc potius, quam ad illud, particula enim *hoc* indicat individuationem, seu numericam actionem, nam *bis*, & *nunc* sunt particulae individuantes. Ex quibus inferre licet, posito etiam illo simultaneo concursu, nullo modo actionem creaturæ à Deo determinari quoad individuationem actionum saltem liberarum, ergo infert ex hoc Sequanus Theologus predictam rationem Patris Raynaudi nullius esse roboris quoad hoc.

Ad id verò, quo extendit necessitatem pro actibus necessarijs ad actus liberos. Responde, ret Sequanus Theologus esse disparitatem, quia causalibera seipsum ex se sola liberè applicat ad suas liberas actiones elicendas, non verò causa necessaria; sed hæc indigebit aliquo extrinseco, quo applicetur, aut quia tolleretur libertas cau-

sæ libera, nempe per prædeterminationem Thomistarum, aut quod Deus non nisi expectata, & confutâ priùs humanâ voluntate concurreret, vt velle videntur Authores scientiæ mediae, quod est indecorum Deo, nempe quod expectet, aut consular' nostram voluntatem, vt confutat cum eius actibus; Aut hoc diceret esse peculiare causæ liberi, ne videatur Deus concurrere etiam ad formalitatem peccati: dicet verò Deum concurrere ad actum necessarium voluntatis creaturæ, licet non ad liberos actus; mallem tamen ego negare concursum immediatum, tum ad liberos, tum ad necessarios omnium causarum secundarum ordinis naturalis actus.

Ad quintam rationem satisfactum manet ex responsione ad secundam.

Ad sextam respondeo cum Aureolo creaturam dependere à Deo tanquam creante, & conseruante, nego tamen dependere à Deo tanquam ab immediato producente, generat enim, & producit non immediatè, sed per causas secundas.

Ad septimam respondebatur sufficienter, & perfecte saluari dominum Dei in creaturas, & subalternationem, creaturarumque, causarumque secundarum, in eo quod Deus eas, earumque virtutem agendi conseruet, quodque possit ex qualibet creatura facere, quodcumque non implicat. Vnde dependebunt à Deo in habitudine ad conseruantem, licet non in habitudine ad immediatum producentem.

Instabis: Sed dependentia ad conseruantem reducitur ad genus causæ efficientis, ergo dependebit creatura à Deo in genere causæ efficiens, seu productoris.

Respondeo aliam esse causam efficientem, producentem, aliam conseruantem, ab hac ultima immediatè dependent, & ab illa mediata. Aut forte in aliis dici poterit conseruationem shabere in genere causæ sustentantis, & res foquentis, sicut reduci ad genus causæ formalis, sed fere.

Ad octavam respondeat Durandus negando paritatem, sufficit enim vt Deus immediatè conseruet naturam, virtutemque causæ secundæ: necesse quoque est, vt causæ primordiales habeant esse à Deo, sic Adamus immediatè à Deo fuit productus, & data est ipsi Adamo virtus generandi, quâ habitat absque immediato concursu Dei in effectum generauit Cain, Abel, sicut de alijs.

Ad nonam respondeo concedendo maiorem de effectu vniuersalissimo non identificato cum particulari, negando verò de identificato, vt in præsenti: *esse enim, & esse caloris in ipso calore* identificantur, & sicut in calore producente calorem *esse*, & *tale esse* non sunt quid distinctum, ita & in calore producto; calor ergo producens, in quantum est ens, dabit *esse* calori producibili, & in quantum est calor, dabit calori producibili *esse caloris*: Vnde miror tam frequenter Thomistas vt illo dicto, *esse est effectus vniuersalissimus*, vt probent creationem non posse communicari creaturæ, vtque probent suam prædeterminationem, præsertim cum ve- lint *esse*, & *tale esse* non distinguui in qualibet re, eò quod teneant ens contrahi ad sua inferiora tantum,

*Ad quindecim.*

*Ad sextam.*

*Ad septimam.*

*Ad octavam.*

*Ad nonam.*